



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die vndecima Iulij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Die vndecima Iulij.

*De sancto Hidulpho, episcopo Treuero.**Ex gestis Treuironum.*

IN saltu parochiæ Tullensis, qui dicitur Vosagus, natalis sancti Hidulphi episcopi Treuironum, confessoris egregij. Quem claro Neruorum genere ortum, in *Regenesburch* autem enutritum, Pipinus rex suggestione cleri & plebis Treuiris constituit episcopum. Post aliquot autem annos, cum tribus sanctis monachis Spinulo, Ioanne & Benigno, in Vosagum secessit: vbi cum eis quos in miraculis cooperatores habuit, gustauit quàm suauis sit Dominus.

Hæc obiter hîc annotauimus, quia dicitur ex Neruijs ortus, quos nunc dicimus Tornacenses. Officium autem ecclesiasticum conscripsit de eo sanctus Bruno Tullensis, postea dictus Leo nonus, Romanus pontifex. Similiter sanctus præsul Basinus, cuius natalis est quarto Nonas Martij, asseritur oriundus non ex tam nobili quàm felici Ducum Lothringiæ progeie, auunculus sancti Lutwini sui successoris. Sed an vterque vel alteruter fuerit ex ea parte Lotharingiæ, quæ nunc cum Belgio censetur, an ex alia, nusquam expressum legi.

Die decima tertia Iulij.

1^o *De reliquijs S. Mildradæ Dauentriæ.**Ex legenda sanctorum Angliæ, & Martyrologio Vltraiektensi.**Sine Cantuaris.*

IN Cantia, sanctæ Mildradæ virginis, in Dauentriam translata. Quam Dompneua mater sacris studijs imbuendam, vltra mare misit ad Calum monasterium. Vbi successu temporis abbatißæ propinquus virginem adamauit, & ad nuptias